

**Rector Academiae Aboensis
Nicolaus Laurentii Nycopensis
logices & poesios p...**

Nycopensis, Nicolaus Laurentii,

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

RECTOR ACADEMIÆ ABOENSIS
NICOLAUS LAURENTII NYCOPENSIS
Logices & Poëſios Professor Ordinarius

Civibus Academicis
Vitam, incolumitatem & felicitatem. P.

Herculeos eorum labores, qui totam vitam recte juventutis informationi dedicârunt, considerans Eloquentiæ Parens Cicero per quàm eleganter Lib. 3. de divinatione scribit: Nul- lum munus reipublicæ afferre majus meliusq̃, possumus, quàm si doceamus & erudiamus juventutem, ijs præsertim moribus & temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda & coërcenda sit. Non sanè immeritò sic dixit, cum cujvis sole meridiano clarius constet Adolescentum animos, nisi severitate quadam & fre- quentissimis quasi orationis stimulis ad virtutum exercitia excitentur, facile, studijs honestatis derelictis, in omne dedecus prolapsuros. Nescit enim ætas illa modum suis in actionibus observare, sed quocumq̃ rapit eam vehementior appetitus, eò facilius declinat. Hinc boni & fidi Præceptores tantò magis Reipublica inservire existimantur, quantò majorem ac diu- turniorem juventuti in Scholis & Academijs, quæ seminaria sunt Reipublicæ, dextrè informandæ operam impendunt. Quandoquidem Discipulorum auriculis præcepta vitæ, mo- rumq̃ salutaria instillando, honesta & utilia præcipiendo, maximis eorundem animos liberant erroribus, voluntatum & affectus, cupiditatum ardore restincto, à vitijs vindicant, omni- aq̃ impietatis semina radicitus extirpant, ut rectissimè cecinit Poëta:

Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Quod cum ita sit, æquitati consentaneum est, ut bonos ac fideles Magistros ac Doctores magnificiamus, eosq̃ omni honore dignos judicemus, qui nihil magis cupiunt, quàm ut discipuli in omni d. Erina genere præstantes evadant, & dies noctesq̃ illud unum cogitant, quomodo de discipulis quàm plurimum benè mereantur. In horum numero Plurimum Reverendum, Præ- clarissimum & Excellentissimum Virum, Dominum M. GEORGIUM ALANUM, hætenus Physicæ & Botanicæ Professorem publicum, Celeberrimum, Collegam & amicum honorandum, si esse dixerimus, nil præter rem dixerimus. Is enim primò in collegio Regio Aboënsi integrum quinquennium omne suum studium in rectæ juventutis institutione non sine ingenti laude collocavit; Postea Regijs literis ad Professionem Phys. & Botan. in Regiâ nostrâ universitate capesendam legitime vocatus, officij sui partibus tantâ fide, curâ & diligentia per octo annorum decursum, & quod excurrit, est defunctus, ut singulari nostræ Academia fuerit ornamento & emolumento. Nôrunt idipsum vel nobis tacentibus, omnes qui ejus in docendo dexteritatem, in disputando acumen avidis mentibus ac auribus frequentes sufficienter perceperunt. Quâ de causâ etiam Clementissimus Dominus laboribus illius ita benedixit, ut discipulos nobis reliquerit rerum naturalium scientiâ instructissimos; Quorum per plurimi honoribus Magisterij decorati Præclara suæ eruditionis à Præceptore hæstæ documenta haudquaquàm contemnenda publicè nobis declarârunt. Ob tantam in munere sibi hætenus concredito fidelitatem, diligentiam & industriam, nuper ad submissam totius Senatus Academici Petitionem, à Serenissimâ & Potentissimâ Principe ac Dominâ, DN. CHRISTINA AUGUSTA, Svecorum, Gothorum, Vandalorumq̃; Reginâ, & Principe hæreditariâ, Magnâ Principe Finlandiæ, Duce Esthoniæ & Careliæ, Dominâ ingriæ, Reginâ & Dominâ nostrâ Clementissima ad vacantem Professionem Theologicam locorum communium legitime est vocatus, Regijsq̃ literis confirmatus. Nostri itaq̃ muneris fuerit, DEUM T. O. M. ardentibus venerari votis, ut Præclarissimum Dominum Collegam Spiritu sapientiæ & intellectus, Spiritu consilij & fortitudinis, Spiritu scientiæ & timoris corroborare dignetur, quò probentur etiam in novâ & arduâ istâ functione ipsi omnia opera ejus, cedant in nominis divini gloriam sempiternam, solidam juventutis informationem, Ecclesiæ propagationem & tandem multorum hominum æternam salutem & conservationem. Cum itaq̃ Crastini diej horâ octava Prædictus Dominus Professor, pro laudato inaugurationis more Orationem introductoriam doctissimam sit habiturus, Admodum Reverendum Dominum Episcopum & Regiæ hujus Academia Procancellarium amplissimum ac gravissimum; Nec non Admodum Reverendos, Consultissimos, Experientissimos, Excellentissimos & Clarissimos Dominos Professores Collegas & amicos plurimum colendos, omnesq̃ ac singulos nostræ jurisdictioni subjectos, reve- renter, officiosè & amicè rogamus atq̃ invitamus, ut magnifica atq̃ honorifica sua præsentia solennem hunc actum inaugurationis cobonestare baud dedignentur. Nos vicissim istud beneficij genus debitis studijs & officijs demereri sedulo annitemur. P. P. sub Sigillo universitatis nostræ Aboæ, die 21. Februarij Anno 1649.

39
160.

RECTO ACADEMIAE ABOENSIS
NICOLAI BARTHOLOMAEI
Logicae & Poeticae Professor Ordinarius

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

